



1766/14.

No: ~~40~~⁴⁷.

SPECIMEN

CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM

DE

INCOMMODIS

EX

DIVERSITATE IVRIVM

VNIUS TERRITORII

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXVIII. MAII ANNO MDCCCLXVI.

DEFENDET

IOACHIMVS ERNESTVS HERZOG

ZITTAV. LVSAT.

LIPSIÆ

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.



STECIMEN

CONTINENS

CAPVT IVRS CONTROVERSV

DE

INCOMMODIS

EX

DIVERSITATE IVRIVM

VNIUS TERRITORII

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

FRANCOFURTI

D. CHRISTIANO HENR. BRVNING

PROFESSOR PVBLICVS ORDIN. IVR. NAT. ET LEGIV

ET SOCIETAT. ILLVSTR. PALAT. AVSTRIACAE

1710

IN AVDIOTORIO PAVLINO

DIE XXVII MAII ANNO MDCCCLXXVI

DECEBIT

IOACHIMVS ERNSTVS HERZOG

AVSTRIACAE

L I P S I A E

LITTERIS VIDVAE LANGENHEIMIAE





INCOMMODA
EX
DIVERSITATE IVRIVM
VNIUS TERRITORII



§. I.
Omnem sane maiestatici iuris, quo interna pax inter ciuitatis membra sustinetur, ambitum quasi in vnum punctum contractum deprehendimus in nomothesia. Agunt homines, quibus sua natura liberum est arbitrium, quod beneficium ipsemet

II 2

A 2

üis




iis creator dederat, libere, et ea ipsa libertas naturalis causa est, vt ad suas tantum rationes et quos sibi met posuere fines, cunctas emetiantur actiones. At iam ciues itane quoque semper ex suo agant arbitrio? Vix ita! Quippe communis quidam finis quaerendus a ciuibus propter consociationis vinculum, scilicet illud pactum, quo in vnum corpus coierunt omnes, quo sibi met ipsis consensu suo communem quandam obligationem imposuerunt. Neceffe ergo est, vt actiones ciuium, si eius sunt naturae, vt vel aliqua ratione finem concernant, propter quem vinculum illud commune comprobantur suo consensu, dirigantur, vt vel finem illum promoueant, vel ne quae actio ab illis committatur, quae fini sit contraria. Haec ergo est imperii prima cura, quae sese exerit in eo, si actionum normas praescribat maiestas, seu qui habet imperium, essentialem illam ciuitatum partem, nulla differentia obseruata inter monarchicum, aristocraticum aut democraticum reipublicae systema.



§. II.

Normae vero illae, quibus actionum ciuium fit normatio, sunt ipsae *leges*. Iam vero, cum finis communis illius consociationis variis modis obtineatur, variaque sint media, per quae finis promoveatur, mirum non est, cum vel internus rerum publicarum status varius sit, vel discrepent inter se ciuitatum gubernatores in capiendis consiliis circa media eligenda, quibus obtineri ex sua opinione possit finis, vt in diuersis regnis atque prouinciis diuersa quoque obligent iura atque leges. Facit vero ad illam diuersitatem haud parum diuersitas, quae obseruatur in vitae genere, studiis, affectionibus ipsorum inter se populorum. Imo diuersa quoque haud raro producit iura diuersitas terrae physica atque climatis. Neque improbandum videtur, si et accidentium rationem habeat maiestas in promouendo fine, propter quem a suo ipsi tributum est imperium populo. Hinc quamuis homini et ciui oecumenicas quidem leges scripserit naturae creator Deus; tamen, ordinatis iis ciuilibus societatibus, non



videbantur sufficere, imo posset contingere, vt variae causae ad vtilitatis rationem pertinentes, indicisae fuissent. Quapropter arbitrarias leges scribere, quae diuersae in diuersis ciuitatibus, ad suam cuiusuis politiam compositae. Nam si easdem omnes ciuitates leges haberent, fieri posset, vt, quod in hac gente iuris erit, si ad eam ipsam legem et normam alia gens adstringeretur seruandam, vel plane contrarium produceret effectum respectu finis, vel plane non applicari posset, vel ridicula foret applicatio.

§. III.

Est praeterea et alia diuersitatis inter diuersos populos iurium causa in religione et recepta superstitione posita. Docuit Res Romana suo exemplo. Quae enim valebant iura, quae se referebant ad superstitionem idololatricam gentilium Romanorum, haec postea recepta veritate Christi doctrinae salutis, necessariam patiebantur immutationem. Et quidni haec ipsa doctrina Christiana, cum, cadente puritate super-



superstitionibus inquinata postea fuerit, efficiat, ut diuersa obtineant in gente aliqua iura, quae applicari in gente alia non possent, quae Christianam religionem a superstitionibus et erroribus repurgatam restitutamque exercet.

§. IV.

Quamquam vero haec in se vera sint, tamen plerumque vna gens, vnus populus iisdem regitur legibus atque iuribus. At patria nostra *Germania* hac in re ab aliorum populorum moribus recedit. Etsi quidem *Germania* vnā constituat ciuitatem, commune imperium agnoscens, (non disputabo, quia nec locus, nec libelli breuitas patitur contra eos, qui patriam in systema ciuitatum transmutant, forsā ex ignorantia verae systematis ciuitatum notionis et patriarum rerum imperitia) tamen in hac ipsa republica vniuersale et omnibus prouinciis commune ius frustra quaeres teste *PVTTERO* in *Element. Iur. Germanici Prolegom. § 48.* Quaelibet enim prouincia suis regitur legibus ciuilibus haud raro ab
Legum



Legum in ipso imperio latarum argumento non minus ac a reliquarum prouinciarum iuribus diuersifsimis. Causam quaero in eo, quod respublica illa Germanica ex variis populis antiquitus vinculo coniunctionis ciuilibus et associationis nunquam coniunctis plene, exorta sit. Non quidem nego, fuisse omnibus prope antiquis populis Germaniae quaedam consuetudine introducta iura aut potius quosdam mores communes; at quidam mores, quaedam tantum iura et instituta erant. Interim diuersas quoque agendi ciuiles habebant consuetudines. Hinc aliter fieri non potuit, quam ut quaeuis gens suos retineret mores coniunctione postea facta. Hi diuersi mores inter se effecere, ut, cum postea singulae illae gentes statuum Imperii iura caperent, imo iurium condendorum potestas territoriis tribueretur, iura diuersa pro terrae, vitae, studiorumque rationibus cuiusuis territorii prouinciaue conderentur. Habet ergo patria iura quaedam, quae communia dicuntur omnibus prouinciis Germaniae, habet praeterea prouincialia iura, habet et localia.

§. V.



§. V.
Praeterea vero quaelibet prouincia tam diuersis iuribus gubernatur, vt fere nulla vrbs, nullum oppidum, nullus vicus, nullus denique prope pagus sit, in quo non aliqua iurium diuersitas deprehendatur. Scilicet *statutaria* illa *iura* in eadem prouincia summam iurium diuersitatem inducunt. Iam de Statutorum originibus latius non tractabo, dixere de iis RICCIUS in libello cui Titulus: Entwurf von Stadt-Gesetzen, ZIMMERMANN *disl. de obseruantia statutorum municipalium in municipiis non probanda.* BRVNQVELL in libello: Eröffnete Gedanken von den teutschen Stadt- und Land-Recht et alii. Hoc moneo, saepius Statutis condendis occasionem dedisse iura Romana, quae vsu in foris germaniae comprobabantur et impetu quodam quasi pellebant antiquos patriae mores et iura, quae vt sibi seruarent, pactionibus et statutis conseruare studebant. Subsequens aetas vero saepius suis immiscuit Statutis Romana, retinuit quaedam antiqua patria. Hinc summa illa iurium diuersitas in vna eademque prouincia
B enata.



enata. Quare in applicandis iuribus ante omnia
semper videndum, quid localia iura comprobent et
fanciant, Haec enim semper praefenda ipsis pro-
uincialibus, quo spectat maxime illa patrii iuris pa-
roemia: *Stadtrecht bricht Landrecht. v. HEVMA-
NI Exercitat. Iur. vniuersi praecipue Germanici. in
Meditatione de Iuris German. studio utiliter perse-
quendo praemissa p. VII. §. V.*
§. VI.

Exemplis quidem probari et illustrari posset,
nisi sententia nostra tam certissima esset, vt vix quem-
quam de summa illa iurium diuersitate in vna eadem-
que prouincia dubitare posse, credam. Maxime
vero diuersitates illae iurium deprehenduntur in suc-
cessionum materia, in qua latissima datur occasio
inter se diuersa statuendi iura. Vel enim singularia
probata sunt in pactitiis successioneibus, quae patriis
moribus non improbantur, quasue improbantia Ro-
mana iura suppressere omnino non potuere, vel
in testamentariis illis haereditatibus, vel in successio-
nibus demum legitimis. Sic diuersa iura dant sta-
tuta



tuta in forma testamentorum externa, vtpote quaedam flatuta Romanas solennitates admittunt, quaedam penitus effectum solennitatibus Romanis negant, sed aliam praescribunt formam. Exemplo sint Statuta *Zittauiensia*, quae testamenta nulla probant, nisi coram magistratu condita et ne haec, nisi ad pias publicasque causas quid legatum sit, quod in paucissimis statutis comprehenditur. Comparauit haec statutorum diuersitates circa testamenta in Lusatae Superioris vrbibus primariis COMPASS. *diss. de testamentis solennibus inualidis ex Statutorum Vrbium Lusat. superior. consensu.* Quae demum obseruantur diuersitates circa successiones intestatas, maxime, si de Heergeraede et Geradae successione quaestio oritur. Nam vel in hoc loco eiusque statuto penitus improbatur, in aliis plene comprobatur, in aliis demum parte tantum approbatur, et plerumque diuersas habet determinationes et Heergeraeda et Gerada. Patet si consulas HOFFMANNVM *de Gerada.* Dein in Tutelarum matrimoniorumque rationibus quam saepissime summa quaedam diuersitas in statutis a



communibus iuribus deprehenditur. Sic ZIT-
TAVIENSE *Statutum* Tit. von Vormündern inter
alia singularia in nuptiis virginum viduarumque re-
quirit consensum curatorum tanta quidem severitate,
vt qui hinter Vorbewußt und Bewilligung der Vormün-
der sie überreden oder belistigen würde, daß sie sich mit
ihme verlobten, deme soll die Stadt Jahr und Tag
verbothen seyn, und soll darinne unerlaubt des Raths
nicht kommen, darzu eines Raths-Strafe gewärtig seyn.
Sunt verba ipsius Statuti. Conspirant Statuta GOR-
LICENSIA Cap. XVII: Es soll sich niemand ver-
loben, irgend mit einer Jungfrauen über der Eltern,
Vormündern oder nächste Freunde Willen. Nun sollen
die Vormündern in alle Wege in solchen Fällen den Rath
als Ober-Vormündern darüber ersuchen, und mit Vor-
wissen solch Ehegelöbniß vollziehen. Welcher das Ge-
both übertritt der soll Jahr und Tag die Stadt meiden.
Contra Loebaviensia *Statuta* Art. XII. §. 2. statuuunt:
Es soll sich kein Junggesell, Jungfrau oder Wittib oh-
ne Vorwissen der Eltern oder Vormündern verloben bey
Strafe 20 Schock. Alia Statuta plane silent et iuris

com-



munis arbitrio insistent. Legi tamen meretur ad hoc thema MAEVIVS ad Ius Lubecense L. I. T. IV. Art. IV. §. 5. sqq. Sed quid multa de iurium diuersitate in eadem prouincia per diuersa locorum statuta introducta, cum nemo sit, qui dubitet. Videamus an omnino probanda.

§. VII.

Si accurate difficultates omnes, quas in vna eademque prouincia diuersa iura producent, perpendimus, facile patebit, minime hanc diuersitatem comprobendam esse. Nam summum est incommodum I. respectu *iudicantium*. Quam enim facile contingere potest, vt, quod in Statuto continetur, ab iis, a quibus sententia ferenda est, ignoretur? Quis enim omnium oppidorum quorum vix interdum nomen memoria dignum est, Statuta euoluere pertractareque posset, vt non interdum aliter iustum pronunciet, ac illius patitur loci statutum. Committi ergo aut potius iniustitiae occasio dari potest absque culpa ab iis, qui in causa litis sententiam con-



cipiunt ex Iuris communis tenore, ignorantes, quod tuto possunt, statutarium ius, maxime si iudex non attentus satis fuerit in transmittendo statuti argumento. Efficit ergo, ut maior diligentia adhibenda sit a iudicantibus, qui communi iure satis edocti, prius nouo quodam studio, quid in statutis singulis eorum locorum, ex quibus transmissas lites decidendas acceperere, contineatur.

§. VIII.

Dein II. haec ipsa diuersitas summum quoddam parit incommodum respectu eorum, *qui iura docent.* Quod si enim in docendis diuersis iuribus rite versari suisque ex omni parte auditoribus satis cupit facere, non taxandus erit, si praecipue diuersa iurium statutariorum capita singularia simul moneat, maxime in patrio explicando iure eoque forensi. Iam vero, quantum et industriae et diligentiae imo et temporis et sumtuum requiritur, ut has singulares singularium iurium dispositiones sibi reddat cognitas, ut postea in tradendis iuribus recte concin-
noque



noque ordine proponere et ex suis causis interpretari valeat. Auget vero haec diuersorum iurium summa interdum diuersitas materiarum explicandarum copiam, quo fieri potest, vt tractationes vix sueta tempora capere possent.

§. IX.

Postea III. incommodum summum *discuntibus* ex hac iurium diuersitate accedit. Sicuti enim facile fieri potest, vt animus non satis exercitatus rerum proponendarum ingenti copia facile confundatur, imo ab ipsis iuribus apprehendendis deterreatur, ita ex altera parte, si antea haec diuersa iura non apprehenderit, si dein ad ciuilem vitam sese applicet, proprio studio non sine summo incommodo apprehendere adhuc debeat. Et non sufficit, tantum illius loci, in quo quis versatur praeter communia iura, simul statutaria scire, sed saepe fieri potest, vt non sine clientum periculo et damno aliorum locorum diuersa ignoret iura non tantum in orandis eorum causis, verum etiam

iam



iam in dandis consiliis, atque, si consulatur, re-
sponsis.

§. X.

Tandem IV. ipsis adeo ciuibus et subditis diuer-
tas illa iurium diuerforum locorum et incommodo
et detrimento esse potest. Cum enim summam
saepe inaequalitatem inducant illa diuerfa statuta in-
ter diuerfos diuerforum locorum subditos, excogita-
uit quidem ICtorum solertia *retorsionis* iura, ad aequa-
litatem inter eos seruandam. Non quidem *retorsionem*
cum HOHEISELIO diff. *de retorsione iurium sta-
tutorum variantium nec aequa, nec prudenti* impugna-
bo, nec ex omni parte defendam, vt videtur fecisse
RECHENBERGIUS diff. *Bellum legum contra le-
ges retorsione ementita metuendum et Vindiciae iurium
reipublicae et fisci in doctrina retorsionum.* Id solum
moneo, ipsam *retorsionem* respectu eorum, contra
quos exercetur, semper aliquid incommodi in se
continere. Fac in hoc loco Geradam improbari,
subdita illius petit eandem, quae in hoc degit loco,
vt consequatur ex hereditate, quae in alio loco iacet,

in



in quo vsitata est, non capiet retorsionis iure, quippe huius posterioris loci subdita eam non caperet, si ex eo loco peteret, in quo vsitata Gerada non est. Itane prior illa ex hac diuersitate statutarii iuris aliquid incommodi citra suam sentit culpam?

§. XI.

Haec quae incommoda diuersitas iurium incommoda parit in vna eademque prouincia, non minora erunt, si ad totum transferas imperium hanc causam. Diuersitas prouincialium Imperii Germanici iurium non minus incommodo est iudicantibus docentibus, discantibus, qui raro, si in extranea versentur Academia suae patriae prouincialia iura expectant, et tandem ipsis diuersarum prouinciarum subditis et incolis. Fac enim ex vna in alteram prouinciam non concedi deferendas hereditates. Quantum damnum erit huius prouinciae cui, qui in alia prouincia hereditatem consequitur, cuius deportatio sancto retorsionis iure negatur. Hinc concludo, cessatura omnia haec incommoda, si per



si per omnem Germaniam eiusque prouincias com-
mune aliquod ius obligaret, nec prouincialibus
nec statutariis iuribus immutatum. Nec minus
foret ex communi utilitate, si communia saltem
iura in eadem prouincia conderentur, reprobatis
relictisque statutariis, quae sua diuersitate plus in-
commodi, quam commodi maxime mutata rerum
facie afferre soleant.

T A N T V M.



RESPON-

RESPONDENTI
PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

S. D. P.

P R A E S E S.

Abiit triennium et ultra studiis academicis sacrum,
quod abs TE, DOCTISSIME HERZOG,
utiliter est impensum. Iam TE expectat patria
dulcissima ex TVIS TIBI comparatis scientiis
fructus optimos perceptura. Quo ergo ex Legis Publicae auto-
ritate legitime quoque eidem prodesse possis, iam in eo es, ut
scientiarum TVARVM publicum specimen sis editurus. Me
ergo et comitem et testem requirebas, qui vel ob TVORVM
popularium in me merita, vel ex TVA in me amicitia opratis
TVIS nec deesse volui, nec sine omnium humanitatis officiorum
laesione potui. Quare iam comitabor TE ad sacrarium Iusti-
tiae. Intra ergo illud atque adscende Cathedram, TEque virum
praefecto, TVAMque et eruditionem in ipsa iuris doctrina et in
dicens

dicendo solertiam atque ingenium ostende. Eueniet, quod spero, ut laudibus ornatus hinc recedas, atque demum gloria parata felix in patriam abire queas. Hanc ergo laudem, hanc gloriam ex animo gratulor et **MAGNIFICO TVO PARENTI** et **TIBI**met ipsi, simulque opto, ut **ILLVM** Diuina providentia in **TVAE** dulcissimae patriae ornamentum, Ciuium Zittaiensium Solatium, **TVAM** denique felicitatem ad extremam senectutem conseruare, **TE** vero omni felicitatis, cuius humanae vitae ratio capax est, beare velit. Redi itaque felix in patriam eosque capesse honores, quos **TVA** et diligentia et doctrina meretur. Absens vero simul mei conserua memoriam, neque patere, ut mei in **TE** animi et amoris recordationem ulla deleat obliuio. Dabo vero operam, quantum fieri potest, ut ostendam, **TVAM** mihi amicitiam semper et gratam fuisse et iucundissimam in posterum fore. Sic Vale et Vale feliciter, meque amare perge. Dab. Lipsiae d. XXVIII. Maii MDCCCLXVI.





Leipzig, Diss. 1766 A-G



TA-01







1766 14.

No. ~~40~~ 47.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
INCOMMODIS
EX
DIVERSITATE IVRIVM
VNIVS TERRITORII
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXVIII. MAII ANNO MDCCCLXVI.
DEFENDET
IOACHIMVS ERNESTVS HERZOG
ZITTAV. LVSAT.

LIPSI AE
LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.

